



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Fasti Mariani Cum Divorvm Elogiis In Singvlos Anni Dies Distribvtis

**Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm**

Antverpiæ, 1637

S. Kilianus Cum Soc. MM. 8. Iulii.

urn:nbn:de:hbz:466:1-44055

S. KILIANUS CUM SOC. MM. 8. Iulii.

VTi Hiberniæ Italia Columbanum, Gallum Suevia, ita Francia Orientalis KILIANVM debet. A Musis mansuetioribus ad omnem humanitatem efformatus Monachū induit, & Sacerdotio initiatus cœnobii præfecturam accepit. Sed ingenuus qui in pectore bulliebat sanguis majores ausus est honores sperare, & generosâ morte Martyrū nobilitatem velle mercari. Igitur in Britanniam, mox inde in Galliam, per hanc in Germaniam se penetravit, & Herbipolim Franciæ Orientalis metropolim pervenit, Colomanno & Tornano viæ propositique pulchri comitibus. Vix crucis signa explicata, cum debellata superstitione, & ipse Dux Francorū Gosbertus sub jugum Christi est missus. Sed restabat cum muliere bellū, semper viris etiam periculosum. Geila hæc fuit fratris olim Gosberti conjunx, tunc pellex hujus, & quia hanc consilio KILIANI Dux ædibus parabat ejicere, ipsa prius KILIANVM sociosq; (absente Duce) vitâ ejecit, & corporibus Divorum stabulum superædificavit. Monitus KILIANVS ab Angelo de morte obviam hostibus processit, iisdemq; verbis, quibus Christus Judam, salutavit. Martyrum porro sanguinem linteo excepit matrona Burgunda. Locum stabulantes equi nullis sordibus contaminarunt. Sicarii malè omnes perierunt, fuitq; qui sceleris sui furiis agitatus clamaret, nunquam non sibi imminere gladium KILIANI sanguine calentem. Ipsa Geila pœnas datura carnificem dæmonē habuit. *Ex Sur.*

Beatus, qui ab omni abhorret turpitudine peccatorum; seque hostiam viventem & Domino acceptam offert. Beatus, qui semper in seipso Dei memoriam colit;

erit enim totus velut Angelus celestis in terrâ cum re-
verentiâ & amore sacrificans Domino. S. Ephrem in
Beatitudinibus.

S. LANDRADA V. 8. Iulii.

SCITÈ LANDRADA Virgo genus suum, quod è
Principum Gallorum stemmate ducebat, novit
æstimare, dum despectis, qui multi illam deperi-
bant, terræ filiis omnibus, uni Agno intactam ser-
vavit sese. Doluit id multum parentibus, ut qui
generos, qui nepotes sperabant. Sed maluit illa
familiam emori, quàm virginitatem; & satis se
oblectabat numerosâ, quam domi alebat, paupe-
rum sobole. His illa ultima servitia exhibere, in-
terim pretiosum pudorē sub vilibus ancillarum
pannis tegere, denique quod tutior hic foret, in
ultimas solitudines asportare; si tamen solitudines
rectè dicimus, quas ab adventu ipsius Cælites de-
inceps cantu suo frequentarunt, lumine exhilara-
runt. Et fuit, cum hi ipsi, festiva inter tripudia,
Mnemosynon illi à sponso crucem artificiosam è
cælo detulerunt. Huic illa mox aram; aræ tem-
plum; templo se suaque dicare ad ultimum vitæ
diem usque. Ab hoc spectabilis Lamperto Episco-
po tumulum eo in loco se velle significavit, in
quem delapsa primùm Crux foret: quod ne fieret,
cum homines intercessissent, bonam operam boni
Angeli locarunt, suisque manibus castissima mem-
bra eò deportata composuerunt. Tam nobiles
Virtus Vespillones habet. Ex Surio.

*Memor esto arrepti propositi, & imaginē tibi propone
Crucifixi: Benè verecundari potes, inspectâ viâ JESV
Christi, quia nec dum magis te illi conformare studui-
sti, licet diu in viâ DEI fuisti. Tho. de Kemp. l. i. c. ult.*

S. ANA-